



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Communi necessitati Ecclesiae, communi contributione consulendum. 23

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

scunt. Inter hæc reperias quamplura, quæ quæstum magis quam pietatem respiciant, & ad inæqualitatem potius quam æqualitatem faciant; unde discordia inter fratres (uti fieri solet) frequenter alitur, concordia vero scinditur laceraturque. Et, quantumvis pleraque inter hæc iniqua reperias, adiguntur tamen omnes, qui recens admittuntur, ut ad ejusmodi statutorum observationem (etiam penitus ignari, quid contineant illa,) citra ullum delectum jurejurando sese alligent; quum tamen juramentum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi. Operæ precium itaque Nobis videtur, hujuscemodi statutorum volumina inter visitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati, atque fraternæ charitati, denique disciplinæ Ecclesiasticæ, minus consentanea reperta fuerint, referre; cavereque, ne posthac ulla nova statuta in ejusmodi Ecclesiis (nisi tamen Noster accesserit calculus) edantur.

C A P. XX. In Capitulis, à juramentorum facili exactione temperandum.

c. I. de jur. in 6.

Matth. 5.

c. 6. si Christus. de jurejur.

Ecl. 32.

1 Cor. 11.

ET quum Christus tam serio jurandi facilitatem prohibuerit, ut, nisi necessitate veritatis, alioqui periclitandæ, cogamur, omnino non jurare debeamus; coërcenda est illa immoderata in Capitulis juramentorum exactione, per quam necesse est ut multi in ancipitia perjurio corruant; quorum non tantum illi qui pejerant, sed & qui causam perjurii temere exigendo præstant, rei sint. Nam Christi verbum est: Sit sermo vester, Est, est; Non, non; quod his amplius est, à malo est. Et in Ecclesiastico legimus: Vir, multum jurans, replebitur iniquitate; & non discedet à domo ejus plaga. Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

C A P. XXI. Inter visitandum, de moderandis annis, qui Expectantiæ appellatur, videndum.

N Vm annos, qui Expectantiæ appellantur, moderari possimus, videbimus inter visitandum; quando Nobis vel id maximè curæ erit, ut, qui recens accesserunt Canonici, aliquot annis, de consensu Capitulorum suorum, bonarum ac potissimum sacrarum literarum studiis, in Academia aliqua publica & bene Christiana, incumbant; utque consequantur illos interim redditus Præbendarum suarum, quotidianis distributionibus tantum exceptis, aut portione ejusmodi personis, juxta Ecclesiarum statuta & consuetudines, assignata. Multum enim refert, viros doctos esse in Ecclesia Dei, qui veluti splendor firmamenti fulgeant, & tanquam stellæ in perpetuas æ-

ternitates mansuri, ad justitiam plurimos valeant erudire. Indignum ergo, studio tam frugifero intentos, ac in vinea Domini operantes, diurno denario fraudari; modo tamen testimonium exhibeant magistrorum, quod totos illos annos rectis operam dederint disciplinis. Per hæc tamen Canonis inducias, quæ se latius porrigunt, nolumus coarctare.

Hono. 3. super/pecul. de magist.

C A P. XXII. Non oportere, à Canonico, recens admissio, pecuniam statutariam duplicatam, ob antecessorem, exigere.

N Ec ferendus Nobis diutius videtur mos ille irrationabilis, quo, ad unam Præbendam receptus, ob suos in eadem Præbenda antecessores non receptos, (à quibus Ius non habet, sed potius à conferente vel instituyente,) pecuniam statutariam sæpius exsolvere compellitur. Nec ignoramus, quosdam Decanos & Capitula in eo esse, ut hæc pecuniaria onera (qua, recens recepti, contra sacrorum Canonum dispositionem gravantur,) indies novis quibusdam adinventionibus graviora, ac tandem importabilia efficiant, quod penitus improbamus.

c. non debet. de reg. jur. in 6.

C A P. XXIII. Communi necessitati Ecclesiæ, communi contributione consulendum.

Q Uod si fabricæ aut alia necessitas Ecclesiæ immineat, satius est, ut, quod in communem vertetur utilitatem, ex communibus redditibus desumatur, quam ut quis privatim gravetur. Evangelicum præceptum est, in quo universa lex consistit & Prophetæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et: Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Ad hanc regulam, veluti ad Lydium quendam lapidem, omnes actiones suas, cum omnes Christianos, tum viros Ecclesiasticos, redigere, æquum est pariter ac necessarium.

Matth. 7.

C A P. XXIV. Tribunalia extra templa collocanda.

C Vm in quibusdam Nostri templis, jurisdictionis Ecclesiasticæ Officiales pro tribunali sedeant, ad quod interdum multo cum tumultu concurritur delitigaturque; visum Nobis est, ut hæc tribunalia foris, intra tamen Ecclesiarum pomeria, collocentur. Cordi siquidem Nobis est, ut, quæcunque Divinum Officium perturbare possunt aut Divinæ Majestatis oculos offendere, è templis eliminentur; ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

Ex Cone. Lugdu. c. de cet. de imm. ec. Cle. lib. 6.

C A P. XXV.